



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. VI. Circa Inimicitias passivas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

§. VI.

Tentatio VI. circa inimicitias passivas.

XCI. Vitalis civis, cum iustâ de causâ actionem persequeretur, & verò etiam Sententiam pro se obtinisset, tamen grave erga ipsum odium & inimicitiam idem concipere concepit, ut neque aspicere illum aut alloqui sit dignatus, sed undique occasionem captârit, seriam de ipsius vindictam capiendi. Cùmque nullum Vitalis remedium inveniret, inimicum suum placandi, tandem Persecutori suo cum magno dolore inimicitiam hanc manifestat, ab eoque consilium & auxilium requirit. Queritur, quale sit eidem suggerendum.

Responsio.

XCII. Inprimis illi ostendat, Inimicum suum non habere nocendi potestatem majorem, quàm DEUS ipsi permittat, uti sat clarè Christus Jo. 19. indicavit dicens Pilato: *Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset de super.* Quidquid autem permiserit fieri DEUS, id in summam illius utilitatem à divina providentiâ ordinari, uti præclarè S. Augustinus in Pl. 23. indicavit sic loquens: *Seviant modò inimici, humilientur, faciant, quidquid volunt, sed sicut de super permittuntur, non quòd DEVS det illis voluntatem nocendi, sed potestatem. Vnusquisque enim malus habet apud se voluntatem nocendi; ut autem possit nocere, non habet in potestate: ut velit, jam reus est: ut possit occulta dispensatione providentiâ DEI, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quando permittitur*

sunt alienigena capere Populum Israël, quia peccaverunt
in DEVM. Ad probationem permissus est Diabolus
in Job; probatus est autem S. Job, confusus est Diabolus.
Ad coronam verò permissi sunt Persecutores in Martyres.

XCIII. Secundò illi ostendat, quomodo DEUS
in variis exemplis suam providentiam ostenderit, o-
mnia mala, quæ inimici paraverant, in summam il-
lorum, qui passi fuerant, utilitatem convertendo.
Quorum primum esse potest Jacobi Patriarchæ, de
quo adhuc in utero existente dictum est Rebeccæ gen.
25. Major (nempe Esau) serviet minori. Quod va-
ticiuiam S. Augustinus l. 18. de temp. impletum fuisse
ait, dum Esau ipsum persecutus est, sicque serviebat
ipfi non obsequendo, sed persequendo, quomodo
molæ serviūt tritico, lima vel malleus auro, panibus co-
quendis furnus; nam hoc ipso, quòd persecutus eum
fuit, effecit, ut è patria fugerit, uxores optimas acci-
peret, Pater duodecim Patriarcharum, ex quibus Chri-
stus nasceretur, efficeretur, &, qui cum baculo Jor-
danè transgressus fuerat, cum duabus turmis regrede-
retur. Alterum nec minus illustre exemplum Josephus
eius Filius esse potest, cui non mediocrem utilitatem
attulit fraternum odium, cum venditio à Fratribus fa-
cta effecit, ut deniq; ProRex regni Egypti crearetur,
& ab ipsis etiam Fratribus, ut pridem per binum so-
mnum ei ostensum fuerat, adoraretur; sicque meri-
tò de illis dictum fuerit, quod olim de occisoribus In-
fantum nonnemo protulerat: non tantum prodesse
ei potuissent obsequio, quantum profuerunt odio.]

XCIV. Tertiò ei ostendat, quòd inimicus, dum
ipsum persequitur, sibi plùs, quàm alteri noceat, uti
præclare S. Augustinus, in Pl. 36. indicat dicens: Fa-
calano

culam apponis, ut aliquid incendat; numquid non ipsa
 facula prior ardet, ut aliquid possit accendere? Malitia
 autem procedit ex te. Et quem prius vastat nisi te: equidem
 dico, quod fieri potest, ut malitia tua alteri non noceat; ut
 autē tibi non noceat fieri non potest. Hinc S. David peten-
 tibus sociis, ut occasione oblatā Saulem interficeret, re-
 spondit: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem
 ubi bene notandum, quod non dixerit: Propitius sit
 Dominus, sed mihi, quia illum occidendo prius ani-
 mam propriam, quam corpus Saulis peremisset sicque
 sibi magis, ac Sauli nocuisset; perinde ut apes cum in
 culeo etiam viscera ejiciunt, sicque dolorem quidem
 inimico, sibi autem mortem afferunt. Ut merito Te-
 tullianus l. de pat. c. 8. dixerit: *Fatigetur improbi
 patientiā tuā: plus improbum cædis sustinendo? ab
 vapulabit, cujus gratiā sustines.*

XCV. Quartō illi in memoriam revocet, quod
 DEUS per Salomonem prov. c. 16. dixerit: *Com-
 placuerint Domino via hominū, inimicos quoque ejus
 convertet ad pacem, uti varijs exemplis in S. scripturis
 confirmatum est, maximē Jacobi Patriarchæ, quem
 Esau summus olim illius inimicus postea obviam cur-
 rens, amplexatus est, stringensque collum ejus, et
 osculans flevit. Gen. 33. Deinde Josephi, quem Fra-
 tres, qui ipsum prius vendiderant, proni postea ado-
 rantes dixerunt: Servi tui sumus: ita ut jure ipse illi
 dixerit: Nolite timere: num DEI possumus resistere
 voluntati? vos cogitastis de me malum, sed DEVS con-
 vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in presentia
 rum cernitis, et salvos faceret multos
 populos.*

✠ (o) ✠